

*Et in actum. Ex abundantia ita argumentamur: Quicquid non est principium activum physicum, ab eò motus naturalis non potest esse: Sed intelligentia non sunt principium activum Physicum. E. Ex his palàm est, illam rationem à motu cœli desumptam, esse nullam & exinde non posse firmiter probari in hâc rerum Universitate dari Angelos. Quia stellæ possunt moveri per formam suam à naturâ inditam, ut nullò externo motore opus sit, sicut enim ad hoc, ut corpus naturale grave secundum naturam deorsum feratur, non requiritur Angelus tanquam externus motor, sed corpus illud per formam & insitas qualitates deorsum movetur; ita ad hoc, ut stella motu naturali in orbem moveatur, non requiritur externus motor, sed totum hoc adscribendum est formæ & Naturæ, quam quælibet stella à Creatore suo accepit.*

§. 5. *Aliâ viâ rem aggreditur ipse Suarezius, qui cum dictò locò disputasset & ratione demonstrasset possibilitatem essendi & existendi Angelorum, statim illam trahit ad actualem eorum existentiam n. 5. inquit: ideò suppositò effectûs possibilitate solùm ex ratione movente divinam voluntatem & consentaneâ fini & intentioni eius colligere possumus, has substantias non solum esse posibles, sed actu etiam reperiri. Quam rationem acceptat Scheiblerus l. all. qui dicit: posito quod natura Angelica sit possibilis, satis benè elicitur, quod etiam de factò sit in mundo: duabus de causis: Nam (1.) ad perfectionem mundi requiruntur omnes species posibles. Unde si desissent Angeli, mundus perfectus non esset, quia isti supponuntur esse res nobilissima. (2.) In essentiâ Angelicâ significatur maxima angelorum assimilatio ad DEUM. Et nulla creatura est, quæ plus participat de attributis divinis: At non est credibile ullò modò, DEUM, cum aliàs res viles intulerit mundo, eidem non addidisse Angelos, tanquam nobilissimum sui speculum, in quo scilicet tot divina perfectiones reluceant. Hactenus ille.*

§. 6.